

DISSERTATIO IN TITULOS PSALMORUM.

Titulorum, qui in fronte cujuslibet Psalmi inscribuntur, expositio crucem figit Interpretibus. His enim tenebris obvoluti sunt tituli, ut eorum mysterium intimè pervasisset nemo sibi huc usque arrogaverit; quin & Rabini ipsi, quamvis alioqui certam de rebus sententiam ferre consueverint, nihil in ea re magis quam ceteri Scriptores scire se non raro profiterentur (a). Ceteri Commentatores eruditissimi æquè & sapientissimi unà conveniunt, incertius nihil esse, quàm quod eà de re apud Interpretes legitur; quamquam ut verbis sapientissimi De Muis in Psal. 8. utar, *Parum est damni in hujus vocis (haggittith) ignorantia; cum illa, ut & alia similes, quæ passim occurrunt in titulis Psalmorum, ad argumentum & materiam Carminis nihil prorsus pertinent.*

Hanc in adscriptionibus Psalmorum obscuritatem fassi etiam SS. Patres, aliter tamen de ipsorum usu & autoritate philosophati sunt. Rati enim utilissimas esse ad totius Cantici intelligentiam, operæ pretium censuerunt, si eorum mysteriis pandendis omni conatu intenderent. *Quid est Titulus, nisi clavis? In Domum non ingreditur, nisi per clavem: Ita & uniuscujusque Psalmi intellectus per clavem, hoc est, per titulum intelligitur,* ait Hieronymianaster in Prolog. Ps. Titulus Psalmi tamquam præco Psalmi est, ait S. Augustinus in Psal. 139. Titulus & Psalmus duo sunt, ait S. Hilarius in Psal. 119. quorum alter ab altero minimè divellendus, sibi enim invicem auctoritatem præstant: debilis est sermo, si de aliquo eorum absque altero dissertatur. Per Psalmorum viam decurrentibus titulus veluti ducem se præstat; restitque ejus sensus ex recta Tituli expositione petitur; inde pendet omnis versus, qui cantatur. *Si quis cognoscat quod in domus fronte positum est, securus intrat,* ait S. Augustinus in Psal. 53.

Plus aliquid addit, cum de inscriptionibus Psalmorum tamquam de cæteris Divinis Scripturis agendum suscipit. In exordio Expositionis suæ in Psalmum 64. cujus est titulus: *Canticum Jeremia & Ezechieelis ex populo transmigrationis, cum inciperent exire;* hæc habet: *Agnoscenda est vox Sancta Prophetia ex ipso titulo Psalmi hujus: & in Psal. 50. cujus est Titulus: Psalmus ipsi David, cum venit ad eum.*

Nathan Propheta, quando intravit ad Bethsabee; ait: Hoc in ipso Psalmo non legitur; in Libro autem Regnorum plenius legitur: utraque autem Scriptura Canonica est.

Gemina fermè habet Theodoretus Præfat. in Ps. *Quoniam Inscriptiones Psalmorum quidam falsas esse dixerunt, necessarium puto etiam de his pauca percurrere. Mihi quidem temeritas videtur, invertere inscriptiones, quæ à prima origine usque ad Ptolemæi tempora delata sunt, qui post Alexandrum in Egypto regnavit; quas inscriptiones Septuaginta omnes Seniores in Græcam linguam transtulerunt, sicut alias omnes Scripturas. Supra centum & quinquaginta annos ante interpretationem Ptolemæicam mirabilis ille Esdras edidit in lucem Libros celestis gratia plenos, qui quidem cum propter Judæorum incuriam, tum verò ob impietatem Babyloniorum diutius depravati permansere. Si igitur Esdras divino numine afflatus horum voluminum memoriam illis hominibus renovavit; etiam hi septuaginta viri non sine S. Spiritu hæc Opera in Græcum sermonem converterunt. Inter cætera verò sacra volumina etiam inscriptiones interpretati sunt. Rem quidem nimis temeritatis & confidentia plenam arbitror falsas illas existimare. & nostras rationes vi S. Spiritus sapientiores judicare. Et initio Exposit. in Psal. 1. ait: *Facile est cognoscere, quod antiquitus apud Hebræos, qui invenerunt inscriptiones & Divinas Scripturas interpretati sunt, eas in linguam Græcam transtulerunt; hunc enim Psalmum, & cum qui proximè sequitur, sine inscriptione reliquerunt, non audent à se ipsis aliquid adjungere verbis Spiritus Sancti.**

Ad id usque viri illi sanctissimi obsequium suum in Titulos Psalmorum provexerunt. Judæi pariter in Synagogis veluti portionem quandam Psalmi recipere illos videntur; quippe qui utrosque indiscriminatim cantare consueverint. Eorum Interpretes non secus ac apud nostros plures, nihil habuerunt antiquius, quàm ut illorum expositioni veluti potissimæ Operis parti adlaborarent. Septuaginta, & Vulgata semper illos & legerunt, & in suis Textibus inviolatos servarunt; quasi scilicet pandendo Authori, argumento, tempori, & consilio scribendi unice valerent. Profectò nisi Tituli ductu inter Psalmos Davidis, filiorum Core, & aliorum distinguere quis posset? Tandem D. Bos-

fuet Episcopus Meldensis in Dissertatione de Ps. cap. 6. hæc sibi censuit asserenda: *Psalmorum titulos divinitus inditos consensatosque dicimus, ut Psalmorum Authores & argumenta noscerentur. Addit pariter: Neque verò ulla ratio finit, ut Titulos à reliquo Scripturarum corpore amputemus, cum eodem tenore legantur cum reliquis, atque in Textu pariter, & in omnibus Versionibus positi legantur. Pariter vide Præfat. D. Du Pin in Ps. art. 3.*

Si quis tamen omnibus æquè Titulis Divinam, Canonicam, assertamque auctoritatem tribuendam censeret, ille certè pià hac credulitate plus nimio abuteretur. Patres enim, quamquam alioqui Inscriptionibus quàm maximè faverent, fassi sunt tamen interdum, nihil illas habere cum litera Psalmi affinitatis. Ita S. Hilarius in Psal. 59. num. 1. fatetur, ejus Psalmi titulum historiam repugnare; *Quo Psalmus omnis ab historia (tituli) distat.* Inscribitur enim Psalmus: *Cum succendit David Mesopotamiam Syria & percussit Idumæam &c.* cum interim Psalmus totus (triumphali licet titulo inscriptus) tristis & moestus sit. Nonnulla etiam discrepare observat inter historiam Regnorum & Textum tituli; ac tandem concludit, Septuaginta Interpretes futura sub Jesu Christo præ oculis habentes, eà apposita Inscriptione, tum scripti Psalmi tempore, cum Authoris consilium, conversionem Gentium ad fidem meditantis, insinuare voluisse.

Eadem repetit in Ps. 63. n. 1. *Cum ipsi illi Psalmi, qui secundum titulum inscriptiones res gestas continere creduntur, in plurimis à tituli sui, & rerum, ac personarum proprietate distentiant, magis per editiones nominum atque gestorum spiritualium operationum significent effectus &c.* Tandem in novissimum Psalmum credere se innuit, ut non tantum inscriptiones, quæ maximè literæ Psalmorum repugnare videntur, mysterium aliquod contineant, sed vacuas non esse autumat à mysterio cæteras etiam, quæ apud Septuaginta ab Hebræo Textu dissentunt, easque pariter, quæ in Græco tantum non verò in Originali leguntur.

Qua in re satis ille ab opinione Theodoretæ recedit, cum ille ad criticæ libram Titulos Psalmorum plerumque discutens, eos omnes rejiciat, quos Hebræus & Septuaginta non admittunt. Ita reprobandum censet Titulum Psalmi 64. cum nec in Hebræo, nec in præcis Interpretibus Græcis Aquilæ, Symmacho, & Theodotione, sicut & in Textu Septuaginta in Hexaplis legatur. Putat verò ille cum Titulum recentioris alicujus Scriptoris satis historici & Psalmorum sensus imperiti operâ adieciisse. Imperitiæ pariter & stultitiæ accusat illos, qui Psal. 136. titulum, cum in Hebræo nullus appareat, adiecerunt. Eisdem alibi querelas innovat, audaciam reprehendens illorum, qui plus suo sensui, quàm debite in Scripturas reverentiæ detulerunt (b); abjectisque eorum commentationibus, ipse quærendum susci-

pit in litera ejusdem Psalmi & argumentum, & scriptæ Lucubrationis tempus.

S. Augustinus, persuasissimus alioqui de auctoritate Titulorum, quos in Exemplaribus suis legebat, fateri nihilominus cogitur, aliò illos interdum referri, quàm quò Canticum spectet. Ita Psalmum 89. quamvis in Hebræo, Septuaginta, & Vulgatâ Moyfi inscriptum, alterius esse opus autumavit: *Non enim credendum est, ab ipso omnino Moyse ipsum Psalmum fuisse conscriptum, qui ullis ejus literis inditus non est.* Si enim, addit, Moysen haberet Authorem, cur inter alia ejus scripta, in quibus nec Cantica desunt, non accensetur? Quare in eo titulo inscribendo aliò spectatum est, atque nomine amplissimi illius viri ad magnum aliquod & sublimè Lector deditur. Et in expositione Psalmi 95. cujus est titulus: *Quando domus edificabatur post captivitatem;* observat nullius ædis constructionem in Psalmo designari: *Non ergo consonat Psalmus titulo suo; & aliud portat in fronte, aliud in voce. Immo nihil aliud, sed intellectores quarit; agitur enim in Psalmo de Templo, sed planè à Salomonico diverso.*

Idem Pater in Psalmum 59. ait: *Verumtamen sicut solet Propheticus Spiritus in Psalmi titulis recedere aliquantum ab expressione rerum gestarum, & aliquid dicere, quod in historia non invenitur; & hinc potius admonere, non propter cognoscendas res gestas esse hujusmodi titulos inscriptos, sed propter futura præfiguranda.* Cassiodorus pro suo more Augustinum præceptorem secutus, habet: *Si literam consideres, extraneum est, cum ea non invenias in Psalmis, quæ continentur in titulis. Tunc solum consonant inter se Psalmus & Titulus, cum sensus mysticus & spiritualis panditur. Sunt autem, addit ille, Inscriptiones veluti oppansa velamina ante fores Psalmi, quæ procul spectata sensum obducunt; accedens verò & per interjecta filamentorum spatia introspectans, intimum penitentioremque sensum pervadet.*

His ita constitutis, illud statim consequitur, 1. Patres cæterosque, qui eos magistros secuti sunt, divinam assertamque auctoritatem Psalmorum Inscriptionibus, quæ à Textu originali repeterentur, tribuisse; cæteris verò recentiorum Authorum operâ adjectis nihil detulisse. S. Hilarius persuasum quidem habebat, maximam illarum partem ad Septuaginta spectare; sed Theodoretus, qui severiori examine cuncta discussit, falsa illum commentatum fuisse ostendit, nihil ratum habendum esse inscriptionibus arbitratus, quàm quod sive in Originali extaret, sive cum Textu Psalmi literali & historico, vel saltem spirituali & mystico sensu congrueret (c). 2. Inscriptiones illas quandoque à litera Psalmorum abhorretere. 3. Semper earum examen permissum fuisse, datumque omnibus, ut cum Textu, & historia conferrent, cui quantum ad sensum literalem nihil deferendum, siquidem à litera Cantici, sive ab historia discrepare deprehenderentur.

Quod

a Muis in Psal. 4. 1. Hebrai sæpè fatentur se nihil scire de Titulis Psalmorum.

b Vide & in Psal. 138. & 143. & 145. &c.

c Vide Theod. in Psal. 59.

a Vide Nazal. Alexand. Hiflor. V. T. Differt. 24. q. 1. art. 1. & Ferrand. Praefat. in Pfal. & alios. e Vide Theodoret. Praefat. in Pfal. & Bedam item. Prolog. in Pfs.

Quod autem à Patribus illis traditum est, nimirum Inscriptiones, non minus ac reliquum Psalmi contextum, Spiritu Sancto afflante dictatas fuisse, eoque proinde habendas loco, quo cætera Canonica Scriptura; eorum privatam sententiam nunquam adoptasse Ecclesia videtur, cum hodie usque eruditissimi plures Theologi demonstrandum sibi aggrediantur, titulos illos nec Divini Spiritus Opus habendos, nec in censum Divinarum Scripturarum cooptandos (d). Censent etiam nonnulli, glossas esse Textui diù post primavos Psalmorum Authores adjectas. Porro si certum esset, quod Veterum nonnullis visum, Esdras, cui Psalmorum Collectio tribuitur, Titulos etiam adiecisse (e), in eam facilis sententiam concederem, quæ Divinam illis auctoritatem vindicat. Sed potuit non modica eorum pars ante ipsam Esdræ ætatem Psalmis accessisse ab ignota quadam nec assertæ nec divinæ auctoritatis manu. Fortè enim inter legendum visus est ignotis illis Authoribus Inscriptionem illam Psalmus exigere, quam statim Exemplaribus suis præfixerunt. Exemplaria autem illa nactus Esdras, servanda omnia censuit, nihil probans, nihilque pariter rejiciens. Facile etiam post doctum illum Scribam Tituli recentiori manu in Textum irrepserunt, quos deinde Septuaginta in suam Versionem translulerunt; unde factum, ut in Originali simul & in Græco legentur. Sed vetustissimi licet, nihil tamen auctoritatis merentur, nisi si fortè cum textu Psalmi, & cum historiæ veritate congruerint.

Quod etiam ad sensum demonstrat, nihil satis certi pro Divina Titulorum auctoritate in Ecclesia Græca pariter & Latina receptum fuisse, libera est, quam sibi vindicaverunt, facultas novos addendi, & veteres abolendi, eorumque auctoritatem pro arbitrio sequendi, deserendique. Patres inter se ferè semper committuntur; & Interpretes integrum sibi ducunt, ut privatam singuli sententiam sequantur, suas singuli in limine cujuslibet Psalmi proponentes conjecturas, tunc maxime cum de sensu literali & historico agitur. Percurrenda in eam rem, ne morosi simus in præsentia, argumenta singulis Psalmis à nobis præfixa, eorumque lectione statim quispiam intelliget, quanta lectionum in iis titulis sit varietas, quanta in assignando Psalmi argumento & Authore inter Scriptores discrepantia, quantam sibi quisque sumat licentiam systema aliquod statuendi in genuinum Textus sensum; nihil inscriptiones morati, siquidem illæ alienum quid à reliquo contextu indicare viderentur.

Profectò si Ecclesia Titulos in canonem recipiendos censeret, modum aliquem imposuisset tantæ Commentatorum licentiæ, ac extra præscriptos in fronte Psalmi limites prætergredi quempiam non tulisset impune. Nunquam insuper commississet, quin in Officio publicisque Psalmorum recitationibus cantarentur. Uno verbo, exactitudo illa, quæ in pluribus ipsorum de-

sideratur, Titulorum cum reliquo contextu repugnantia, alterius quàm S. Spiritus esse Opus, documento sunt apertissimo. Si quam Authores Sacri Inscriptionem apposuerunt (nonnullas enim apposuisse non ambigo) fateamur oportet, eas cum cæteris immixtas confusisque non satis posse distingui, ut proinde in ea, qua sumus, ambiguitate neque rejicere omnes, neque probare audeamus. Ultrò igitur admittimus eas, quæ cum historiæ veritate, & sensu Psalmorum congruunt; cæteras à reliquo contextu abludentes, incunctanter rejicimus. Satis convenit inter Theologos, non omnes æquè Librorum sacrorum Titulos pro inspiratis habendos. Agnoscunt etiam ex Patribus quidam, Inscriptiones illas nihil conducere ad literam & argumentum Psalmorum; pendendum; sicut & nomina virorum quæ in fronte Cantici leguntur, non semper genuinum Lucubrationis Authorem prodere. Quicumque etiam ex iisdem Patribus omnes uni Davidi Psalmos vindicaverunt, illis certè Titulis parum detulere, cum in illis non rarè alter à sanctissimo Rege Scriptor præferatur.

Quæ in divisione Psalterii, sicut & Psalmorum inter se, apud diversos obtinet varietas, alterum est argumentum pro abroganda suprema auctoritate Inscriptionibus Psalmorum. Observavimus in Prolegomeno, variam adoptasse Patres Psalterii distributionem; cum alii pro Hebræorum more in quinque Libros dispeserint; alii in tres; alii singularem esse Librum, nec divisione ullà deformandum statuentibus. Qui apud aliquos unicus est Psalmus, in duos ab aliis distinguitur. Sunt qui Titulum Psalmo præfixum legant, cui Titulus in aliis Exemplaribus deest. Syriacus Hebraici Exemplaris fidem sæpissime deserit; Septuaginta singularem lectionem servant discrepantem ab Hebræo, Syriaco, & Vulgatâ; nec infrequens est inter ipsa Septuaginta Exemplaria varietas. Psalteria vetera Latinorum abhorrent quandoque à Græco, & Vulgatâ. An hæc Textui Canonico & legitimo, cujus invariata est veritas, quadrent? Cum ex pluribus Psalmis unus integer conflatus est, cum duo simul juncti, erantne singulis uniformes & invariables tituli inscripti? Quot apud Vulgatam leguntur, quos frustra in Hebræo quaras; & quot pariter in nostris recentioribus Bibliis, cum olim nulli? Psalmus 60. *Qui habitat in adjutorio Altissimi*, sine titulo est apud Hebræos; de fuit etiam in Exemplaribus Eusebii, Theodoretii, Euthymii, & Hieronymastri; cum tamen hodie suis Psalmo Titulus legatur in Septuaginta, & Vulgatâ.

Cum Tridentinum Concilium Vulgatæ auctoritatem asseruerit, nullâ factâ inter Titulos Psalmorum distinctione, omnibus æquè eandem auctoritatem conciliavit (f). Vix autem credimus voluisse illud divinam vindicare auctoritatem iis Titulis, qui & hodie & ante hac semper in Hebræo defuerunt; sicut & iis, qui & ipsi per se apertissime & unanimi Patrum con-

f Vide Ferrand. Praefat. in Pfs. 67.

sensu, historiæ sive reliquo Psalmorum contextui repugnare noscuntur. Statuendum est igitur, omnes æquè generatim Psalmorum Titulos nullam obtinere Divinam & Canonicam auctoritatem, eosque proinde in examen revocare, rejicere etiam cum alterum meliorem sensum litera Psalmi offerat, singulis esse permittum. Adhuc tamen cum eorum auctoritatem deferendam nobis suscipimus, integrum tamen ratumque servare jubemur in illos obsequium, utpote quos Ecclesia servandos in sacris Scriptis censuit, & non infima ipsorum pars ad assequendum Psalmi sensum plurimum confert.

Quantumvis tamen summam adhibuerimus in eo examine curam, plures fuisse nihilominus Titulos fateamur, quorum implexior sensus conatus omnes nostros sefellit; quod etiam ante nos ingenuè primi ordinis Interpretes fassi sunt. Flaminus (g) deseruisse se majorem Titulorum partem inexplicitam profitetur, quod neque ipse de suo aliquid promere valuisset, neque aliquid invenisset apud Interpretes Latinos, quod sibi probaretur; nec Rabbinos aliter in ea re commentatos, quàm quòd suspicari se significarent, inextricabiles illas voces plerumque sive instrumenta musica designare vel musicas notas & cantilenas, ad quarum normam Levitæ sacros hymnos in Templo concinerent. Censuit hinc Flaminus optimum factu esse, si voces illas Hebræas in sua Versione retineret, exemplum secutus doctissimorum Interpretum ex Hebræo Latinam Sacrorum Librorum Versionem adornantium. Isidorus Clarius Praefat. in Pfs. fatetur pariter, una cum Rabbinis doctissimis, Inscriptiones illas, iis exceptis quæ historiam aliquam satis notam indicant, inexploratas esse, eorumque sensum frustra tentandum, quòd vetus Hebræorum musica nostrâ ætate penitus exciderit, ut neque instrumenta illorum satis noscamus, neque notas musicas iis Titulis designatas habeamus perspectas. Hæc cum Rabbinis Clarius.

h In Pfs. 1.

Fufius præ cæteris ea de re disserit Genebrardus (b). Maxima Inscriptionum pars, ait ille, adèò implexa est & obscura, ut brevioribus scholiis evolvi totæ vix possint. Ad hæc, minor est eorum in expositione literæ utilitas, quàm ut labori Scriptoris respondeat; sunt enim plerumque notæ veteris Hebræorum musicæ, nostrâ ætate penitus incognitæ. Illis tanquam clavibus utebantur Hebræi, ut varios in cantando tonos dirigerent; quemadmodum apud nos prima antiphonæ vox totam deinde cantilenam moderatur, atque totius Psalmi modulationi normam præscribit. Rarè Inscriptionibus illis tempus & occasio Scripti Operis indicatur; & si quando indicari contingat, non semper tamen verus Textus sensus ex illis repetendus. Sunt enim sæpè figuræ quedam Rethoricæ sive inopinam Divinæ inspirationis œstrum, quo Author in occulta mysteriorum abripitur, quorum

historia in titulo indicata, figura tantum habenda est. Igitur titulus literale Psalmi argumentum non pandit; sed à temporali ad spiritalia, à figura ad veritatem transgrediendi, intento in Divina spiritui præbet occasionem.

Persuasum habuisse idem Author (i) videtur, inscriptiones, quæ in Septuaginta quidem non verò in Hebræo leguntur, Judæis Cabala sive traditionis mysteria sectatis, tribuendas fuisse. S. Gregorius Nyssenus tract. 2. in Pfs. 1. c. 8. omiffas credit Inscriptiones, cum Psalmus planior esset, quàm ut adscriptione aliquâ explicaretur; si quid verò Ecclesia addendum censuerit, quod in Originali deesset, id illam eo consilio præstitisse, ut latens aliquod mysterium in Psalmis detegeret. Hosce ab Ecclesia adjectos Titulos *Ecclesiasticos*, & *mysticos* appellat. Eosdem non ab Ecclesia sed à Septuaginta adscriptos S. Hilarius, uti supra observatum est, autumavit; sed minorem obtinent apud Theodoretum auctoritatem, cui temeritate quorundam prophætorum irrepsisse in Sacram Scripturam creduntur, & veluti pura hominum inventa abjiciuntur reprobanturque. Nicolaus Lyranus (k), receptâ apud Latinos opinione, Esdræ collectionis Psalmorum Authori deputari scribit; ille enim, ait, Præfationem in Psalterium adornavit, cujus locum tenet primus Psalmus, cæteros verò, prout necessitas ferebat, peculiari titulo inscripsit. Quoad titulos ab originali Hebræo alienos, hæc idem Lyranus in Pfs. 62. *De titulo Psalmi parum est curandum, nisi pro quanto accipiuntur immediate ab Hebræo, vel translatione Hieronymi juxta Hebraum, quia in aliis multis sunt appolita secundum phantasias Expositionum* (l). Docet tandem in Prolog. super Pfs. *Apud Hebræos authenticis sunt [Tituli] sicut Psalmi cæteri.*

Nec majori cautione mentem suam produnt eâ de re P. Alexander in Dissertatione in Pfs. & D. Ferrandus in sua Præfatione ad Psalterium. Ex quibus omnibus illud nobis jure meritoque asserendum, Titulorum auctoritatem nunquam tanquam dogma satis certum exploratumque receptam fuisse; ut ejus rei veritas earum loco haberi possit, quas salvâ Ecclesiæ reverentiâ dissidium Theologorum & Interpretum ingenii exercendis in medio relinquit.

Recepta apud Judæos traditio, relata pariter & probata ab Origene [m], Eusebio in Pfs. 27. S. Hieronymo Ep. ad Cypr. & in Malach. S. Hilario Prolog. in Pfs. pag. 34. S. Athanasio Prolog. in Pfs. tom. 2. p. 70. tenet Psalmos nullo inscriptos titulo, ad Authores in præcedenti Psalmo expressos referri. Hanc sententiam suspensionis arguunt recentiores Interpretes; & falsam disertè appellat Bellarminus Praefat. in Pfs. S. Hilarius tamen ab Esdra derivandam asserit, Collectore Psalmorum, post solutam captivitatem, quemadmodum supra innuimus. Fufius nos eâ de re in Differt. de Authoribus Psalmorum.

i Genebr. in Pfs. 80. & in Pfs. 93.

k Prolog. in Pfs.

l Vide & Dupin Praef. in Pfs. n. 14.

m Origen. in Opusculo nuper edito in Hexaplis D. Bernardi de Montfaucon.